et plumbo fingunt enim quod omnia corpora sunt composita ex partibus consimilibus. et ex uno elemento et hec putaverunt ut visus non testatur eis. in eo quod determinaverunt gravius et levius. hac determinatione et mechanici dixerunt de gravi et levi simpliciter.

Cum narravit quod antiqui non fuerunt loquti de istis nisi secundum comparationem, ultimo declaravit hoc narrando sermonem eorum et dixit. quidam enim determinaverunt gravius et levius etc. id est apparet enim quod cum isti voluerint diffinire grave et leve non diffinierunt nisi grave et leve secundum comparationem, scilicet gravius et levius. isti enim dixerunt quod grave est quod componitur ex pluribus elementis. et hoc intendebat per pluribus consimilibus. omnes enim conveniunt in hoc quod elementa sunt consimilia et quod leve est illud quod componitur ex elementis paucis. et secundum hanc diffinitionem grave et leve sunt eiusdem nature et non differunt nisi secundum magis et minus et hec est dispositio gravium in respectu et levium in respectu non simpliciter cum due nature sint diverse in diffinitione et contraria etc. Deinde dedit exemplum ad declarandum quod sermo eorum non est in eadem natura diversa secundum magis et minus. et dixit. v. g. etc. id est et sermo eorum de natura gravis et levis est consimilis sermoni dicentis quod hoc plumbum est gravius hoc plumbo quoniam in eo sunt ex partibus plumbi magis quam in altero. et hic dixit quia differentia est magis vel diversitas quod hoc plumbum est gravius hoc sunt ex elementis gravibus plusquam in altero quoniam in eo sunt ex partibus plumbi plusquam in altero. Deinde dixit. et hoc dicunt in aliis consimilibus formis et hec est causa quam reddunt in gravi existenti in rebus que sunt eiusdem speciei et in rebus que sunt hic et in rebus que non sunt eiusdem speciei et hoc intendebat cum dixit. et similiter dicunt de ligno et cupro. Deinde dedit causam in hoc et dixit. fingunt enim quod omnia corpora etc. id est et hoc quod dant de causa gravitatis et levitatis est idem in omnibus corporibus sive eiusdem speciei sive diverse speciei. opinabantur enim quod omnia corpora sunt composita ex elementis eisdem in specie, quapropter dicebant quod grave est illud in quo sunt plura elementa et leve in quo pauca. Deinde dixit et putaverunt hoc et sensus non testatur eis et hoc potest intelligi quod iste sermo in elementis non convenit omnibus eis que videntur in corporibus compositis. dicentes enim hunc sermonem impossibile est eis dicere quomodo corpora composita diversantur specialiter cum elementa ex quibus componuntur sint eadem in specie. scilicet quomodo diversantur forme compositorum. et alia multa contraria sensui contingunt huic positioni. et potest intelligi quod si essent elementa sicut dicunt sentirentur corpora dissolvi in ea et componi ex eis sicut sentitur in uno. et cum narravit ex sermone eorum quod ipsi non sunt locuti nisi de graviori et leviori, fecit de hoc rememorationem et dixit modo quod iam determinaverunt etc. id est quoniam autem isti non dederunt nisi causam gravioris et levioris. et mechanici dixerunt de gravi et levi quod dictum est simpliciter manifestum ex hoc quod diximus.

Similiter autem determinatis.

Nos autem videmus quod ignis est levis et etiam levitatis et quod movetur ad superius et quod terra et terrestria sunt gravia et etiam gravitatis mobilia ad inferius et ad medium et cum ita sit non quia propter triangulos ex quibus elementa componuntur movetur igitur. quoniam si ita esset sicut dixerunt tunc magnus esset tardioris motus ad superius et gravior cum componeretur ex pluribus ex pluribus triangulis ut dicunt. Sed nos videmus contrarium. ignis enim quanto

License: cc-by-nc-sa – Scherpenheuvel-Zichem, Abdij der Norbertijnen van Averbode, Archief, Sectie IV, hs. 417, 45, fol. [22]r – Aristoteles, <i>De caelo</i>, with commentary by Averroes (https://fragmentarium.ms/view/page/F-tq1r/9563/70231)